



**Disputatio juridica inauguralis de infamia : quam ...pro gradu
doctoratus summisque in utroque jure honoribus & privilegiis
... legitime consequendis, eruditorum examini subjicit David
Joan Martens.**

<https://hdl.handle.net/1874/343819>

41.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
 I N A V G V R A L I S,
 D E

I N F A M I A,

Q U A M

P R A E S I D E D E O T E R O P T . M A X .

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
 Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decretō,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in UTRIQUE JURE Honoribus & Privilegiis
 ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

DAVID JOAN MARTEENS, ULTRAJECTINUS.

Ad diem 4. Januarii, horis locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ F R A N C I S C I H A L M A , Academiæ
 Typographi, c l o I o c x c i i i .

Amplissimo ac Gravissimo

V I R O ,

D.D.JACOBO MARTENS,
J. U. D. inclytæ Urbis Tra-
jectinæ Senatori, nuper Præ-
fectis Rationum Illustrissimo-
rum ac Potentium hujus Pro-
vinciae Procerum, Equestris
Ordinis nomine, adscripto,
nunc vero Scabino consul-
tissimo, Patri meo, omni
filiali amore prosequendo,
atque colendo.

Hanc Disputationem Juridicam Inauguralem,
ut & me ipsum

Offero

DAVID JOAN MARTENS.
Auct. & Resp.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
INFAMIA.

§. I.

Piusquam agamus de infamia pauca de peenis sunt præmittenda. Poena est delicti, sive criminis coercitio. l. 131. & 244. ff. de verb. sign. Estque duplex capitalis vel non capitalis. Capitalis est, quæ vitam, libertatem, aut civitatem adimit. vita adimitur culleo, igne, bestiis, furcâ, gladio. l. 9. ff. ad leg. Pompej. de parricid. l. un. C. de his, qui patr. aut liber. occid. l. 1. princ. & §. 3. ff. de abig. l. 11. §. ult. l. 28, 29, 31, 38. §. 2. ff. de pen. Adimitur libertas, cum quis condemnatur in metallum, vel in metalli opus. l. 8. §. 4. ff. de pen. l. 5, §. 3. ff. de extraord. judic. Civitas auferitur per deportationem. l. 1. ff. de hered. inst. quæ in aquæ & ignis interdictionis locum successit. §. 2. Inst. de capit. demin. Non capitalis est, quæ magis pertinet ad existimationis, quam capitis periculum. l. 28. §. 1. ff. de pen. Hujus generis sunt damnatio in opus temporarium. ead. l. 28. §. D. Hadrianus l. 5. §. minuitur. ff. de extraord. cognit. Damnum pecuniarium cum infamia, aut dignitatis aliqua depositio, aut actus alicujus prohibitio. l. 8. princ. l. 9. ff. de pen. l. 2. insin. ff. de public. judic. §. 2. Inst. eod. l. 7. §. penult. ff. de interd. & releg. Admonitio fustium, flagelorum, vel virgarum castigatio. l. 7. ff. de pen. quarum illa liberorum, sed humiliorum, est. l. 10. §. 2. ff. de pen. l.

A 2

I. 6

4 A DISPUTATIO JURIDICA

1. §. 10. ff. de pref. urb. Hæc servorum. dict. l. 10. l. 7. §. 2. l.
9. §. penult. de injur. cædebantur autem servi vinciti atque
pendentes. Plant. in Asin. act. 2. Scen. 2.

Ad pedes quando alligatum est equum centupondium.

Ubi manus manica amplexa sunt, atque adducta ad trabem,

Nec dependis, nec propendis, quin malus nequamque sis.

& act. 3. Scen. 2.

Ubi sepe causam dixeris pendens adversus octo

Astutes, audaces viros, valentes virgatores.

Præterea poena non capitalis est infamia l. 8. ff. de pen. &
princi. Inst. de pen. temer. litig. nec non illo Varronis loco.
Tertia panarum infamia, quamvis infamia alicubi à poena se-
paratur; ut in l. 22. ff. de his qui not. infam. Quod autem à
poena separatur dict. l. 22. credendum idcirco fieri, quod
in criminibus coercendis vix unquam poenæ locum subeat,
sed alias poenas comitetur. Missa jam poenarum materia
veniamus ad nostrum scopum.

§. II.

Doctrinæ initium nominum consideratio est. Pluri-
mum enim ad rei elucidationem facit nominis interpreta-
tio, vocabuli derivatio; Idque ipsum sane frequentissime
usui fuit JConsultis. Ulpianus explicaturus quid sit jus,
Juris, præfatur, *operam daturum nosse oportet unde nomen juris*
descendat, inde confessim nomen orditur scrutari l. 1. ff. de
just. & jur. Existimatio est dignitatis illæsæ status legibus
ac moribus comprobatus, l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit. qui
auctoritate legum ex delicto aliquo aut consumitur per
maximam capitii deminutionem, aut minuitur, quoties
durante statu aliqua labes & macula existimationi inuri-
tur. Ea à doctoribus in l. 1. Cod. ex quib. caus. infam. fama
quoque appellatur, seu opinio, quæ de cujusque mori-
bus

I N A U G U R A L I S.

bus habetur: Eaque denominata est à *fando*, ideoque latissime sumpta comprehendit bonam & malam existimationem de aliquo exterius manifestatam, & fama sit quod de aliquo dicitur, & relata ad personam sit existimatio cuiusque. A fama composita est contrariae significationis infamia, quo vocabulo JCti pro ignominia utuntur. l. 1. princ. ff. de his qui not. infam. addita particula IN, quæ in compositione solet esse privativa, seu adversativa, ut in distinctionibus *inductus*, *infirmus*, *infectus*, & similibus. Dd. in l. 29. §. 15. Ubi Bart. n. 2. Jason. n. 12. cum segg. de lib. & posth. & Amaja ad Cod. tit. de infam. num. 3. eoque vocabulo Cicero compluries est usus, ut lib. 2. de finibus. An est aliquid per se ipsum flagitosum etiam si nulla committitur infamia? Infamia itaque bonæ famæ opponitur: nec aliud significat quam labem, imminutionem, notam, & detrimentum famæ.

§. III.

Explicata infamiae derivatione, & significatione, ulterius dispicere necesse est, quæ sit ipsius definitio. Variæ infamia definitur; frequentius vero ita: *Existimatio-
nis bona leſio*, seu dignitatis status moribus, ac legibus reproba-
tus. Brevius autem definit Accursius ut sit *fame imminu-
tio*, nota, sive privatio in. l. 2. Cod. de dignit. quem sequun-
tur Wesenb. ad tit. ff. de his qui not. infam. Molin. de just.
& jur. tom. 5. disput. 7. num. 3. s. & alii.

§. IV.

Post infamiae definitionem procedendum ad ejus divisionem. Nascitur hæc infamia ex dupli causa, vel ex turpi aliquo facto, vel ex auctoritate judicis id notantis. testantibus: Aceved in. l. 3. tit. 3. lib. 8. Recopil. num. 50. & seq. Molin. de just. & jur. tom. 5. disput. 7. & 8. Exinde Doctores duplē faciunt infamiam, juris nempe, &

DISPUTATIO JURIDICA

facti; quamvis hanc distinctionem errorem vocet Donellus. lib. 18. cap. 6. non dari infamiam facti contendens ex his rationibus. 1. Quod infamis ille dicitur, qui notatus est infamia, quæ notatio non sit nisi a lege. l. 43. §. 12. ff. de ritu nupt. &c l. 13. ff. de testib. ergo quantumvis quis apud bonos & graves viros male audiat, non erit infamis, nisi legis auctoritas infamiam irroget, & ob id quamvis in legibus, in quibus ponitur exemplum infamiae, facti dicuntur, non tamen idcirco dicitur effici infamem. l. 13. Cod. ex quib. cans. infam. 2. Et cum infamia gravissima sit poena, & vitæ æquiparetur. l. 9. ff. de manum. vindict. & l. 8. §. 2. ff. quod met. cans. non debet ex fama pendere, ex qua nihil est statuendum ait. Tacit. l. 3. annal. & de ea adjicit Tertullian. in *apolog.* cap. 7. Ne tum, cum aliquid veri adfert, sine mendacitate viro esse detrahens, adjicione, demutans de veritate, cum ea illi conditio sit, ut non nisi mentitur perseveret, tam dinque vivere, quandom non probat, si quidem ubi probaverit cessat esse. 3. Quia in jure nostro infames a dignitatibus arcentur, qui sunt infamia facti, non comprehenduntur. l. 12. ff. de decur.

§. V.

Sed quamvis Donelli opinio sati exornata sit, tamen cum communi Doctorum sententia admittendam esse infamiam facti affirmo. Nam etsi verba legum expressa non sunt, tamen hæc infamiae species explodi non potest, cum de ea multa jura pertractent, neque insolens in jure nomina, quæ a JCris omessa sunt, a Doctoribus imponi, quando res speciales habet effectus, itaque dicitur infamia, quæ ex sola facti improbitate oritur, super quam lex nihil disponit, quia ex eventu est aestimanda arg. l. 24. ff. R. 7. neque item adstringitur certis regulis, unde opponitur infamiae juris, non quod sit juris effectu destituta, sed quia certo jure non sit definita, quemadmodum

I N D I A U G U R A L I I S.

modum dicitur de actione in factum. Porro hæc divisionis certis regulis patet, ut 1. l. 2. ff. de obseq. parent. & patr. præstand. cuius verba probant aliam infamiam inventari, quæ juris non sit, quæ cum re ipsa dicitur incurri, nihil aliud est, quam ipso facto. 2. Rursus. l. 2. Cod. de dignit. ubi priora verba sunt de famosis & notatis, id est, de infamibus infamia juris, sequentia autem verba, quos scelus aut vita turpitudine inquinat. de alia infamia intelligi debent. Amaja. ad Cod. tit. de infam. num. 12. 3. Suadet. l. 5. §. 2. ff. de extraord. cognit. ubi, si quando minuitur existimatio, est infamia, & hæc imminutio sine juris auctoritate intervenire potest. 4. facit. l. 13. ff. de test. quo loci eti calumniæ causa condemnatus, non excludatur a testimonio dicendo ex lege Rhemnia, adhuc tamen adjicit Papinian. judicem existimare debere, an admittendus sit: Quod non alia ratione dixit, nisi quia judex debeat perpendere causam condemnationis, an ob eam male audiat apud bonos & graves viros: Nam infamia facti habet suos gradus, pro gravitate & levitate cause, ut agnovit Wesenb. ad tit. de his qui not. infam.

§. V I.

Hac vero opinione stabilita transeamus ad infamiae juris definitionem, ejusque causas efficientes. Infamia juris est quando alicui infligitur infamia ob turpe factum ipso jure, (id est edicto prætoris, vel lege) vel judicis sententia notatum. Causæ ergo efficientes sunt edictum prætoris, lex, vel judicis sententia. Edicto prætoris infamia notantur. 1. Milites ob missiōnem ab exercitu ignominiae causa l. 2. ff. de his qui not. infam. & l. 13. §. 3. ff. de re milit. Recte additur ignominiae causa, quia est quædam missio honesta, quæ veteranis conceditur. l. fin. Cod. de his qui non impl. stipend. vel causaria, quæ ob valedicinem, aliamve justam causam. l. 2. §. 2. ff. de his qui not. infam. quæ infamiam non inferunt.

§. VII.

8 DISPUTATIO JURIDICA I

§. VII.

2. Infamia quoque notantur ex edicto, qui artis ludicræ, pronunciadive causa in scenam prodeunt, quæstum inde facturi. *l. 1. & 2. §. fin. ff. de his qui not. infam. l. 44. §. 5. ff. de rit. nupt. l. 21. Cod. ex quib. caus. infam.* comprobatque graviter Tertullian. *de spectacul. cap. 22.* confer quoque Sueton. *in Tiber. cap. 35.* Scena autem fuit ea Theatri pars aulæis tecta, ubi degebant Histriones, sive scenici comediam acturi, ut late tradit Rosin. *lib. 5. antiqu. cap. 4.* In scenam prodire plenius definit Labeo in dict. *l. 2. §. fin. ff. de his qui not. infam.* locum nempe illum, in quo spectaculi causa concurrunt homines, ut Histrionem, vel scenicum spectaculum sui præbentem videant. Hos ergo, qui in scenam quæstus gratia prodibant, famosos esse ea ratio suaderet, quoniam adeo res obscenas & turpes Histriones aut scenici peragebant, ut vix quis honestus spectare possit; unde cum artem ludicram exercere, & scenam toto probro ducerent Romani, genus id hominum honore civium carere debere, recte æstimarent. Olim etiam infamia apud Athenienses notatos legimus liberos, qui alere noluerant parentes. Petit. *ad II. Attic. pag. 166.*

§. VIII.

Excipiuntur autem ab hujusmodi infamia in *l. 4. prin. ff. de his qui not. infam.* Athletæ, Thymelici, Xistici (nam pro exustici legendum hic est Xistici) & Agitatores, & qui aquam equis spargunt, & qui sacræ certaminibus deserviunt, qui omnes ignominiosi non sunt, imo ab hujusmodi ludis arcebantur infames. Athletæ nomen stricte sumptum ad Gymnicos ludos relatum, id est ad eos quos Palestritæ exercebant, a Gymnasio nempe dictos, id est *in loco*

è loco in quo illi nudi depugnabant) comprehendit eos, qui luctabantur, currebant, saltabant, vel disco & pugnis decertabant. Genera itaque Gymnicorum ludorum sunt quinque, luctatio, cursus, saltus, disco ac pugnis decertatio. Isid. lib. 18. etym. cap. 17. & l. 2. ff. de aliat. uno verbo vocarunt *quinquerium*, nomine deducto à quinque artibus, seu certaminibus. Thymelici propriæ sunt illi, qui modulos in fabularum actionibus faciebant teste Cujac. in l. 4. Cod. despectac. sed in *hac lege* 4. ff. de his qui not. infam. intelligendi sunt musici, qui in agone de musica decerabant, quibus sicuti & Athletis præmia & honores constiuebantur. Tacit. lib. 5. & lib. 14. annal. ratio, quare l. 4. intelligenda sit de illis musicis, est, quia qui modulos in fabularum actionibus faciebant infames fuerunt, cum socii essent Histrionum, & quæstus gratia in scenam prodibant. Xistici sunt Athletæ, qui hastis præcipue pugnabant, vel qui in theatra prodibant depugnaturi, qui, quia virtutis gratia faciebant, non erant infames. Agitatores erant, qui in ludis Circensibus currus gubernabant, & aurigæ erant l. fin. Cod. de malef. nec immerito ab infamia liberantur, cum autem aliquando Equites Romani, Senatores, & ipsi Principes currus agitaverint. Bulenger. de Circo cap. 49. ideoque non quæstus gratia fiebat, sed ob præmium & victoriam. dict. l. 4. ff. de his qui not. infam. nec obstat. l. 4. Cod. despectac.

§. IX.

3. Edicto etiam infamia notantur, qui locarunt operas suas ut cum bestiis pugnarent. l. 1. §. 6. ff. de postul. & l. 3. §. 5. ff. de testib. nam vitam & sanguinem venalem habent, & se capitali scelere damnatis conjungere videntur.
 4. qui lenocinium faciunt l. 4. §. 2. ff. de his qui not. infam. quid autem sit lenocinium facere exponitur l. 43. ff. rit. nupt. 5. Qui bina sponsalia, binasque nuptias eodem tempore

10 DISPUTATIO JURIDICA I

pore contrahunt. l. 2. Cod. de incest. nupt. &c l. 18. Cod. ad leg. Julianam de Adult. indeque patet Polygamiam simultaneam jure civili fuisse prohibitam. 6. Notantur quoque fures, & raptores de furto vel rapina paciscentes cum pretio ne secum ageretur. l. 4. §. 5. &l. 6. §. 3. ff. de his qui not. infam. quia fateri crimen videtur, qui paciscitur l. 5. ff. de his qui not. infam. l. fin. ff. de pravar. l. 4. ff. de jure fisci. & confessus pro iudicato est. l. 1. ff. de confess.

§. X.

Lege notantur. 1. Mulier nubens intra annum luctus. l. 1. & 2. Cod. de secund. nupt. 2. Mulier in flagranti adulterio deprehensa. l. 43. §. 12. ff. de rit. nupt. Vir autem comprehensus non nisi accusatus & damnatus fit infamis. l. 2. §. 3. ff. de his qui not. infam. 3. Qui juratam violavere transactionem. l. 41. Cod. de transact. 4. Improbus scenerator l. 20. Cod. ex quib. caus. infam. 5. Judex dolo malo judicans. l. 2. Cod. de pœn. judic. qui mal. judic. ubi dispendium existimationis est infamia. 6. Meretrix. l. 43. §. 4. ff. de rit. nupt. in qua non solum illa, quæ adhuc meretriciam exercit artem, verum ea quoque, quæ jam meretrix esse desit.

§. XI.

Non omnes autem solum ex facto vel edicto, vel lege notato, vel damnato juris infamiam incurront, quidam etiam ex judicis sententia infamia notantur. Solet enim contrahi per judicis sententiam infamia ex judiciis famosis: quæ vel criminalia, vel civilia sunt. Ex criminalibus criminibus infertur infamia, quando crimen publici judicii est, seu publici judicii causam habet l. 1. ff. de publ. judic. junct. l. 7. cod. l. 1. ff. de his qui not. infam. l. 4. ff. de pravar. vel quando quis est damnatus ex illis

cri-

I N A U G U R A L I S . 11

criminibus, quæ in publico judicio admissa, tametsi ea publica non sunt, e. g. qui condemnati ob prævaricationem, ob calumniam, ob tergiversationem. *l. 1. ff. de column. l. 4. §. ff. de his qui not. infam.* Item infames fiunt, qui ob crimen stellionatus condemnati sunt, quamvis id judicium publicum non sit. *l. 13. §. fin. ff. de his qui not. infam.* stellionatus crimen est, quoties nomen proprium crimen non habet, objicitur autem ei, qui rem alienam sciens & dolose obligavit, vel alii pignoratam dedit. *l. 4. ff. de crim. stellion. l. 16. §. 36. ff. de pign. att.* sed in contrarium est Ulpianus. *l. 2. ff. de crim. stellion.* Distinguendum autem puto cum Cujac. lib. 10. observ. cap. 26. & Ant. Fab. lib. 4. conject. cap. 2. Crimen stellionatus extraordinarium & non famosum esse, cum admissum est in contractibus, quorum actiones private non sunt famosæ, ut si concurrat cum pignoratitia actione. *l. 16. §. 1. ff. de pign. att.* Contra autem erit, si crimen stellionatus concurrat cum privata actione famosa, ob quam infamia irrogatur, veluti si quis merces quas mihi debebat ex stipulatu dolo malo corruperit, & sic tradidit. *l. 3. §. 1. ff. de crim. stellion.* & tum crimen stellionatus concurrit cum actione doli: Actio doli autem famosa est. *l. 1. ff. de his qui not. infam.*

§. X I I .

Civilia judicia partim constant ex delicto partim ex contractu. Ex delicto sunt septem, furti nempe, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo, expilatae hereditatis, sepulchri violati, & quando mulier per calumniam ventris nomine in possessionem missa sit. *l. 1. l. 4. §. fin. l. 15. ff. de his qui not. infam. l. 8. 10. & 12. Cod. ex quib. caus. infam.* *l. 1. ff. de sepalc. violat. §. 2. Inst. de pæn. temer. luig.* furti autem damnatus notatur, si ex actione furti damnetur, non autem si ex condictione furtiva, nam in hac non de dolo queritur, sed de rei restitutione; ideoque

12 DISPUTATIO JURIDICA I

que condicioneſ ipſo jure non infamant. l. 36. ff. de act. & oblig. l. 8. Cod. ex quib. cauſ. infam. Eadem in cauſa eſt damnatus injuriarum. l. 5. Cod. ex quib. cauſ. infam. idque ex ſimili talionis lege: nam injuria eſt ignominia animo contumeliae alicui appoſita. l. 1. §. 2. ff. de injur. Aequum igitur eſt, qui alteri ignominiam intulit, eandem ipſe incurrat. De vi bonorum raptorum condemnatus, merito infamis eſt, quia in illo judicio de dolo queritur, & eſt actio ſimilis furti. in prin. Inſt. de vi bon. rapt.

§. XIII.

Ex contractu vero judicia ſunt famoſa, quando aliquis damnatur ex hiſ quatuor cauſis, Mandati, pro Socio, Tutelæ, Depositi, propterea quod in hiſ de fide rupta agatur. l. 1. verſ. pro Socio ff. de hiſ qui not. infam. l. 6. §. 5. & ſeqq. ff. eod. l. 42. ff. de verb. ſignif. Quod intelligendum ſi aliquis ſuo nomine damnaetur, nam tutores, curatores, procuratores, dum pupillos, minores, vel dominos defendant, ex hiſ cauſis eo nomine damnați, infames non ſunt, neque heres, ſi conuentus ex dolo defuncti, damnaetur. l. 6. §. 2. ff. de hiſ qui not. infam. l. 29. ff. de dolo malo. Secundo requiritur, quod judicio directo damna-tus ſit, non in contrario, nam in hiſ non de fide rupta, ſed de impensis agitur. diſt. l. 6. §. fin. eod. Ceterum, ſi & in hiſ de perfidia queratur, damna-tum ſequitur infamia. diſt. l. 6. §. 5. eadem ratione quia ſcilicet de fide rupta auctum eſt, eft enim gravius crimen fidem fallere illi, qui fidem amici in contrahendo ſecutus eſt, quam in ſimplici herere dolo: ſed hoc non habet locum in actione pro ſocio, nam ea omnibus ſociis eft directa. §. 2. Inſt. de paen. temer. litig. Que omnia in ſupra dictis admittenda ſunt, quando ob dolum latamve culpam in eis admissam damna-tus fuerit, ut late probat Donellus.

Hæc

§. XIV.

Hæc omnia, quæ de his judiciis diximus, intelligenda sunt, si sententia secuta sit, nam pendente judicio, aut per appellationem suspenso, infamia nondum locum habet. l. 14. §. 11. ff. de bon. libert. quia de delicto adhuc certo non constat. l. 6. ff. de his qui not. infam. & quis debet esse condemnatus per sententiam definitivam cum effectu, non interlocutoriam, & ob id si arbiter in compromiso sententiam tulit, condemnatus non efficitur infamis. l. 13. §. 5. ff. de his qui not. infam. l. 32. §. 6. ff. de recept. qui arbitr. Præterea requiritur, ut judex de ipso facto, de quo agebatur, pronunciet: Nam infamia non infertur, si judex silens eam poenam reo irrogaverit.

§. XV.

Sed hic nobis excutienda erit aliqua quæstio: Nempe, an, si a judice irrogetur juris infamia, illi quoque infames dicendi sint, qui rite quidem, sed innocentes, sed inique condemnati sunt? quod affirmo cum Anth. Matthæo lib. de crim. tit. de pœn. cap. 3. num. 7. Qui & hanc reddit rationem, quod auctoritas rerum judicatarum fortissime debeat defendi, & absurdum foret, etiam sententia lata adhuc incertum esse, utrum in damnatorum, an indemnatorum numero reus habendus sit: non obstante. l. 22. ff. de his qui not. infam. nec. l. 8. Cod. ex quib. caus. infam. Roget nunc aliquis, quid ergo contra juris erit, si homo nocens judicio absolutus sit, vitabitne infamiam, necne? distinguo, utrum factum leges notant, an sententiam: si factum, et si absolutus sit nocens, infamis tamen erit: si sententiam, utique effugiet notam reus, quoniam verum est, datum non esse. l. 43. §. 12. ff. de rit. nupt.

DISPUTATIO JURIDICA I

§. XV L

Quærunt etiam hōc loco interpres, an absens, condemnatus ob contumaciam, fiat infamis? sunt qui id simpliciter negant, ob illam rationem, quod non tam sententia, quam interlocutio sit: quodque magis propter solam contumaciam absentis damnatio fiat, quam quod crimen vere probatum sit. Alii vero hanc doctrinam temperare videntur, ut si per inquisitionem absens damnatus fuerit, tunc in numero infamium non contineatur. Neutra vero opinio mihi placet, ac nec juri communi quadrat. Nam falsum est, pronunciationem judicis, qua absentem damnari, esse interlocutionem: falsum etiam ob solam contumaciam absentem damnari. Quin contra, quibus casibus absens damnatur (id autem post litem contestatam contingit) causam iudex examinat, quemadmodum & in civilibus judiciis: & si reus videbatur innocens, cum absolvit, si non nocens, condemnatur. Neque segreganda hac parte inquisitio ab accusatione; Quid enim interest, utrum ex inquisitione, an accusatione reus damnetur? cum pro accusatione sit inquisitio.

§. XVII.

Ab infamiae juris explicatione jam transeo ad explicandam infamiam facti, quae vel gravior est, ut vitæ turpitudine à jure non notata. l. 2. Cod. de dignit. vel levior levisque notæ macula, ut in l. 27. Cod. de inoffic. testam. Hanc ita definio. quod sit ignoratio quæ existimationem nostram apud bonos & honestos viros onerat. l. 2. ff. de obseq. parent. & patr. prest. l. 20. ff. de his qui mor. infam. l. 13. 17. 19. Cod. ex quibus infam. Eo modo alii infames sunt ipso vitioso suo facto, non jure, alii sic ut integra prorsus & legalis non sit eorum persona, ut si illegitimorum natalium sint capita, vel

vel libertinæ conditionis hominum genus. l. 27. Cod. de
inoffic. testam.

§. XVIII.

Facto suo infamiae causam præbebant olim notati à Censoribus. Anth. Matth. de crim. tit. de pen. cap. 3. non igitur infames proprie loquendo ut ii, qui in l. 1. ff. de bis qui not. infam. cum autem nota Censorum neminem eximat ex honestorum numero, cuius rei testis locupletissimus est Cic. pro Client. Avit. cum testatur, adeo non fuisse eos infames, quos Censores notaverant, ut etiam non nulli senatu ejecti, Censores ipsi postea facti sunt. Quod etiam notat Bodin. lib. 6. cap. 1. de republ. ubi hunc locum Ciceronis ex Nonio refert; Censorum judicium nihil fere adfert damnato prater ruborem, & Ascon. in divinat. Temporales notas fuisse à successoribus plerumque sublatas: sed tantum maculam aliquam, vel pudorem adfert. Etiam conjuges rerum amotarum actione damnatae. Bacch. ad tit. ff. de his qui not. infam. cap. 1. num. 2. arg. l. 52. princip. & §. 1. ff. de furti. & l. 1. ff. de rer. amot. non adverstante. l. 2. Cod. eod. etiam damnati edicto unde vi. arg. l. 7. §. 2. ff. de obseq. parent. & patr. Adjicio & illos, qui flagellorum ierbibus subjecti in ordinem Decurionum recipi non possunt. l. 12. ff. de Decur. cui nihil obstat l. 49. Cod. eod. nec l. 7. Cod. de heret. Quin & concubinas. l. 49. §. 4. ff. de legat. 3. nec declarat l. 1. princ. & §. 4. & l. 3. §. 1. ff. de Concub. neque l. 5. Cod. ad S. C. Orphit. Quin & publicos aleatores & ebriosos. Gomez. l. var. resolut cap. II. num. 38. in fin. Barbos. ad l. 27. Cod. de inoffic. testam. num. 28. & 29. Omnesque quos scelus, aut vitæ turpitudo inquinat, à nullo tamen jure notatos. Amaj. ad Cod. tit. de infam. num. 12.

§. XIX. Ad

16 DISPUTATIO JURIDICA

§. XIX.

Ad levi nota notatos refero eos, qui bonis cedant. nov. 135. cap. 1. non sola paupertate, sed cedentium vitio. Jacob. Gothofr. ad. l. 144. ff. de R. f. non obstante. l. 11. Cod. ex quib. caus. infam. neque l. ult. Cod. qui bon. ced. Unde olim duæ illæ litteræ, B.C. id est bonis cessit. Forner. 2. select. 27. ex Valerio Probo. Refero & illos, quorum ita obæratorum bona publice vendita. §. 1. in fin. Inst. qui & ex quib. caus. Huc & illi pertinent, qui ab interloquente judice admonentur, ut ad meliorem vitæ frugem se reforment. l. 20. ff. de his qui not. infam. & l. 19. Cod. ex quib. caus. infam. Quo etiam referto filios, quos patri in testamento suo merito increpare placuit. l. 13. Cod. ex quib. caus. infam. Addo aliud genus levi macula notatorum, non suo maleficio, sed originis suæ, & abjectæ conditionis, cujus sunt in. l. 27. Cod. de ineffic. testam. liberti, hodie liberi, nuper ad huc servi. Quales enim liberti, & quam odiosæ illorum opes fuerint, docet præ ceteris l. 8. Cod. de revocand. donat. Docent & leges 9. & 10. Cod. Theodos. de pistor. & ibid. Gothofr. Idem etiam Constantinus libertis Latinis istam inurit notam. l. 3. Cod. Theodos. ad S. C. Claudianum. ut medianam eos tenere dicat fortunam, inter liberos & servos, inter servos tanquam liberos, inter liberos ut servos, & hominum liberorum spurios.

§. XX.

Cum autem egerimus de omnibus modis, quibus infamia infertur, inspiciamus porro infamiae effectus. 1. Constat omnes, qui juris infamia laborant, repellendos esse à dignitatibus, & honoribus; Idcirco exclusi fuerunt à militia, quia ad militiam non nisi ingenui, nullaque macula adspersi admittebantur. l. 4. §. 6. & l. 11. ff. de re milit.

Pro-

Prohibentur etiam postulare , nisi pro se , & exceptis quibusdam personis. *l. 1. §. 2.* & *§. 8. ff. de postul.* Non possunt esse advocati. Accurs. in *l. 2. Cod. de dignit.* & Barbos. in *l. 1. §. fin. de extraord. cognit.* quia advocatorum officium non solum nobile sit, sed & laudabile. *l. 4. Cod. de advoc. divers. judic.* & advocatos in dignitatibus esse agnoscat *l. 7. Cod. de postul.* Infames etiam ad judicis officium non possunt admitti. *l. 12. Cod. de dignit.* *l. 12. ff. de judic.* Non possunt esse Decuriones. *l. 38. Cod. de Decur.* *l. 1. ff. ad leg. Julianam de vi privat.* Neque assesores *l. 2. ff. de assess.* Ceterum à muneribus, quibus non tam honeratur, quam oneramur, non arcentur infames. Ideoque tutelam gerere possunt. *l. 1. §. 6.* & *8. junct. §. 11.* & *l. 3. ff. de postul.* Possunt quoque esse procuratores *§. ult. Inst. de except.* Possunt etiam esse arbitri. *l. 7. ff. de recept.* ex quibus jam satis appareat, juris infames dignitates habere non posse, neque honores, ita ut priventur, si quos habent, & ab habendis arceantur. 2. Infames repelluntur à testificando, & ab accusando. Bart. in *l. 3. Cod. ex quib. caus. infam.* & per. *l. 21. ff. de testib.* 3. Infames heredes instituti, à fratribus præteritis, per querelam inofficiosi testamenti ab hereditate repeilli possunt. *l. 27. Cod. de inoffic. testam.*

§. XXI.

Late huc usque actum est quatenus infames repellantur, & quomodo infamia irrogatur, restat nunc ultimo loco nobis videre quomodo infamia purgatur, ita ut iterum ad honores ascendant, qui ea laboraverint, & quamvis Plaut. ait in *Pers. act. 3. scen. 1.* *Hominum immortalem esse infamiam,* & etiam iunc vivere, cum credis esse mortuam. & Ulpian. *l. 43. §. 4. ff. de rit. nupt.* inquit, non aboletur turpum, qua postea intermissa est. tamen aliquando infamiam cessare dicendum est. Primo, si à sententia lata

C

inter-

intercedat appellatio. l. 6. §. 1. ff. de his qui not. infam. quia hæc vis appellationis judicatum extinguat. l. 1. §. ult. ff. ad S. C. Turpill. Secundo, si Princeps infamiam remiserit, & damnatum in integrum restituerit. l. 1. §. 9. & 10. ff. de postul. Tertio, purgatur infamia tempore, veluti si quis ex causa famosa ad tempus condemnetur: nam post elapsum tempus infamia non prorogabitur. l. 2. §. 2. princ. l. 3. §. 1. ff. de Decur. l. 8. ff. de postul. l. 3. Cod. ex quib. caus. infam. Ratio est quia prohibitus ad tempus, finito illo tempore iterum admissus censetur. non obstat. l. 5. ff. de Decur. neque l. 4. §. 4. ff. de re milit. nec l. 6. Cod. ex quib. caus. infam. Quarto, si reus in judiciis famosis per procuratorem se defendat. l. 6. §. 2. ff. de his qui not. infam. Hæc cautio in civilibus tantum locum habet nam in criminalibus raro admittitur procurator. l. pen. §. 1. ff. de publ. judic. l. 11. §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult. & si quando admittatur, sententia non in procuratorem, sed in dominum, seu ipsum reum, ferenda est, ut aperente Justinianus fieri jussit in criminis injuriarum. l. ult. Cod. de injur. Quinto, si poenam pecuniariam, quæ per sententiam imponi potest, ante sententiam reus offerat. l. 73. ff. de procur. Sexto, si reus auctoritate judicis pacificatur. l. 6. §. 3. ff. de his qui not. infam. Septimo, si gravior poena extra ordinem imposita fuerit, certum est infamiam vitari, transegisse enim cum judice reus de infamia videtur. l. 13. §. 7. ff. de his qui not. infam. l. 4. Cod. ex quib. caus. infam. l. 10. §. 2. ff. de pen.



COROLLARIA.

I.

Donatio omnium bonorum valet.

II.

*Donatio non potest revocari propter libe-
ros postea natos nisi à solo liberto.*

III.


*Emphyteuticum predium inscio domino
donari potest.*

IV. Mi-

I V.

*Minor viginti quinque annis, modo
major sit septemdecim potest esse pro-
curator ad lites.*

FINIS.



*Exemplum sententiae de
cautione et obligatione
deinde debito.*

VI